UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ Theologiæ summa continetur

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quid sit credere Deum, vel Deo vel in Deum. D

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Visual Library

Chriſtum. Nam ipſum eſſe Chriſtum dæmones crediderunt, nec tamen in Chriſtum crediderunt. *Iacob. 2. a* *Ipſe arguet mundum. Ioan. 16.*

Quid ſit credere in Deum, vel Deo, vel Deum. D

Aliud eſt enim credere in Deum, aliud credere Deo, aliud credere Deum. Credere Deo eſt credere vera eſſe quæ loquitur, quod & mali faciunt, & nos credimus homini, ſed non in hominem. Credere Deum, eſt credere quod ipſe ſit Deus: quod etiam mali faciunt. Credere in Deum, eſt credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & eius membris incorporari. Per hanc fidem iuſtificatur impius, vt deinde ipſa fides incipiat per dilectionem operari. Ea enim ſola bona opera dicenda ſunt, quæ fiunt per dilectionem Dei. Ipſa enim dilectio, opus fidei dicitur. Fides ergo quam dæmones, & falſi Chriſtiani habent, qualitas mentis eſt, ſed informis, quia ſine charitate eſt. Nam & malos fidem habere, cum tamen charitate careant, Apoſtolus oſtendit dicens. Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habeam, &c. Quæ fides etiam donum Dei dici poteſt, quia & in malis quædam Dei dona ſunt. *Aug. ſer. 181. de tempore ad princip. & c. 37. lib. de cognitione vera vitæ & tract. 39 ad illud. Si quis voluerit. Ioan 7. Et ad verſum 11. Pſal. 77. Hunc generatio quæ non, tom. 8.* *1. Cor. 1. a*

An illa informis qualitas mentis, quæ in malo Chriſtiano eſt, fiat virtus cum ſit bonus. E

Si vero quæritur, vtrum illa informis qualitas, qua malus Chriſtianus vniuerſa credit, quę bonus Chriſtianus, accedente charitate remaneat & fiat virtus, an ipſa eliminetur, & alia qualitas ſuccedat quæ virtus ſit? Vtrumlibet ſine periculo dici poteſt. Mihi tamen videtur, quod illa qualitas, quæ prius erat, remaneat, & acceſſu charitatis virtus fiat.

Ex quo ſenſu dicatur vna fides. F

Cumq; diuerſis modis dicatur fides, fatendum eſt tamen vnam eſſe fidem, vt ait Apoſtolus. Vnus Dominus, vna fides. Siue n. fides accipiatur pro eo quod creditur, ſiue pro eo quo creditur, recte dicitur fides vna. Si n. pro eo quod creditur, accipiatur, *Epheſ. 4. b.*

ex hac